



# JESU FORTUNANTE!

## §. I.

**D**Eum Optimum Maximum, quem Veritatem ipsissimam & æternam sapientiam esse sacræ confirmant litteræ, tanti haud facit ecclesia Romana, ut ingenua fideiq; diviniore plena fiducia, verbo & institutioni ejus mordicus & salutari pertinacia inhærendum omnemq; assensus & spei nervum eò intendendum esse seriò existimandum censeat. Fidem horum facit unanimis consensus istorum, qui Constantinensi Concilio interfuere, & in eam, qui diu ante sese jam insinuaverat, conspirarunt sententiam, multitudinis suæ auctoritate stipato mendacio non obstare Christi æternam veritatem in institutione Sacræ Coenæ expressam, insuperq; habenda Filii Dei gloriosissimam actionem edentis verba & voluntatem, dum modo Patrum suorum, quippe à Patre mendaciorum inspiratorum, vanissima & importunissima decreta undeq; audaciæ suæ profanæ constent. Ita enim Concilium Constantiense Sess: XIII. *Generale Concilium declarat, decernit & definit contra hunc errorem (de communione Laicorum subutraq; specie) quod licet Christus instituerit, & suis Discipulis administraverit sub utraq; specie Panis & Vini hoc venerabile Sacramentum, TAMEN HOC NON OBSTANTE &c:* quibus gemina quæ pari impietate Tridentinum Concilium Sessione XI. cap. III. habet: *Insuper declarat sancta synodus, quamvis Redemptor noster ut antea dictum est, in suprema illa cœna hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit &*

A 2

rit &